



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. V. De vbicatione rerum spiritualium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

SECTIO V.

De vicatione rerum spiritualium.

85 **A**LIA etiam in hac Sectione restat nobis cum P. Vasquez disputatio: ait enim Tomo 2. in 1. Partem Disputatione 188. Angelum esse præsentem corporibus, quibus pro sua voluntate coniungitur per vicationem realem à se distinctam, sibi que intrinsecam, quam tamdiu retinet, quamdiu coniunctus est illi corpori, etiam si corpus ipsum localiter moueatur; unde, si Angelus coniungatur naui, quantumvis hæc per totum Oceanum vegetur, semper Angelus manet immotus, & cum eadem vicatione quam habuit antea. Addit deinde Disputatione 195, cap. 3. & 4. Angelum à corpore separatum, nec habere præsentiam localem, nec localiter posse moueri.

CONCLUSIO fit. Angelus habet vbi intrinsecum, independens ab omni corpore reali, affixum tamen spatio imaginario, non secus ac illud 86 habent omnia corpora. Hæc est communis, & probatur faciliè Primò, quia Angeli possunt distare inter se magis & minus, & localiter moueri independentè à corpore, ergo habent vicationes à corpore independentes. Consequentia est certa. Antecedens probatur, quia si modò sit vnus Angelus Romæ v. g. alius autem Pragæ, non dubium, quin magis distent inter se quam si vterque esset Pragæ. Demus ergo, à Deo annihilari omnia corpora intermedia, quin circa Angelos aliquid efficiat; rogo ergo, vtrum in eo casu maneat Angeli cum eadem distantia ac antea, an non. Si maneat, teneo intentum, scilicet, eos habere distantiam inter se independentem à corpore reali: si non manent æquè distantes, rogo, quis eos proximiores reddidit?

Dices: Per ipsam ablationem corporum. Contra, quia id videtur ipso primo aspectu incredibile. Deinde rogo, cur potius ad se appropinquant, quam elongantur magis? Sanè nulla potest huius vel apparens ratio reddi. Deinde, si accedunt ad se, ergo iam habent aliquas vicationes, licet non eadem quas antea. Patet, quia ex sua essentia non habent, esse propinquos, cum id possit ab eis separari, ergo id habent per vicationes à se distinctas: sed illæ non respiciunt corpora realia, ergo vicationes Angelorum non respiciunt corpora realia.

Secundò probatur à simili ex vicatione corporum. Sicut enim hæc possunt habere vicationes independentes ab illis corporibus, & sine ordine ad illa, cur non poterunt & Angeli habere vicationes independentes à corpore, vel quid ad hoc interest ratio corporis, aut spiritus? Sicut enim in simili arguitur communiter etiam ab ipso Vasquez contra Thomistas, asserentes, solas res materiales posse infra eandem speciem infinitam multiplicari, arguitur inquam, eò quòd non possit ostendi, quid inuenit ad multiplicationem indiuidualem ratio corporis aut quantitatis potius, quam ratio spiritus; ita etiam in præsentia potest argui contra ipsum, quia non apparet quid conferat ad præsentiam localem, esse corpus aut spiritum. Confirmatur Primò, quia dum Angeli à cælo ad terram, aut è contrario mouentur, item dum anima post mortem vel ad cælum vel ad in-

fernum deferretur, non est censendum ferri alligatum ad corpus aliquod, aut semper vniri cum corporibus per quæ transit, idque necessario vt possit moueri; sanè omnino gratis & sine fundamento id docebitur. Confirmatur Secundò, pone Angelum à Deo productum ante omne corpus, & postea à Deo produci hæc omnia corpora, rogo, an tunc Angelus maneat præsens alicui tantum corpori, an omnibus, an verò nulli; neque est aliud amplius excogitabile. Si est præsens alicui tantum, ergo iam antequam illud corpus produceretur, Angelus erat præsens eidem spatio imaginario, in quo illud corpus producitur; alioquin non posset per solam productionem alterius corporis in eo spatio Angelus esse præsens illi corpori potius quam alteri. Si verò dicas, illum manere præsentem omnibus corporibus, in primis facile refutaberis, quia Angelus non potest simul esse præsens toti orbi. Deinde etiam inde inferitur, illum ante productionem orbis esse præsentem huic spatio imaginario, alioquin (vt proximè dixi) per solam productionem huius orbis non posset Angelus illi reddi præsens magis quam alteri orbi, qui extra hunc creari potest. Si verò dicas, cum tunc ab omnibus distare, ergo quia habebat præsentiam in alio loco imaginario: nam si esset in hoc, non posset non esse præsens alicui corpori, cum totum hoc spatium sit plenum corporibus, ergo necessario debes fateri, cum Angelum etiam ante existentiam corporum habuisse præsentiam alicui spatio imaginario respondentem, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) ab omni præsentia nequit absolui.

SECUNDA CONCLUSIO. Etiam si Angelus non 90 separatur à corpore, si tamen hoc moueatur, mouebitur etiam Angelus saltem per accidens, sicut homo qui vehitur naui vel equo, mouetur per accidens ad motum nauis vel equi. Probatur, quia præsentia Angeli, vt ex Conclusionem præcedenti constat, est independens à corpore, & respicit spatium imaginarium non secus ac præsentia ipsorum corporum, ergo sicuti hæc mutatur per acquisitionem noui spatij imaginarij, ita etiam mutabitur præsentia Angeli. Confirmatur Primò, quia negari nequit, Angelum, qui alligatus naui ad Indos peruenisset, fore vt distaret magis ab Angelo qui esset Romæ, quam distaret antequam nauis soluisset ex Italia portu, ergo saltem per accidens tunc Angelus esset elongatus, & consequenter mouit se localiter. Neque enim potest dici, tunc solum distare magis ab Angelo, qui esset Romæ, ipsam nauem, non verò Angelum qui in illa fertur, id enim ex ipsis terminis est aperte falsum: magis enim distat Angelus qui est in Indiâ ab eo qui est Romæ, quam si vterque esset vel Romæ vel in Indiâ. Confirmatur Secundò, quia potest esse in rerum naturâ & alligatio Angeli ad nauim, & motus nauis in Indiam, quin Angelus feratur in Indiam, ergo quando Angelus fertur in Indiam, aliquid habet distinctum ab alligatione sui ad nauim, & à motu nauis; hoc autem distinctum voco, ergo præsentiam localem. Consequentia est euident ex sapè dictis, quia nihil potest à se ipso separari. Antecedens autem probo, quia casu quo Deus per potentiam absolutam poneret nauim in duplici loco, non ideo deberet etiam Angelus poni in duplici loco; sicut non quia alligaretur aliquis

92 Angelus Christo Domino existente in his speciebus panis Sacramentalibus Pragæ, ideo ponendus est Angelus præsens omnibus speciebus Sacramentalibus; ergo Angelum esse in Indiâ, non est formaliter ipsum esse alligatum naui, & nauim esse in Indiâ; ergo ut Angelus sit in Indiâ, requirit aliam entitatem superadditam, quâ sit præsens illi spatio imaginario: hanc autem voco vocationem propriam Angeli; ergo Angelus existit in loco per propriam vocationem, quæ mutetur quotiescumque Angelus correspondet diuerso spatio imaginario, vel ex mutatione sui per se, vel ex mutatione per accidens in aliis corporibus. Quod idem dicendum est de aliis rebus spiritualibus.

Confirmo & explico. Si lapis detineatur diuinitus in aëre, quantumuis omnia corpora cum ambientia milles mutentur, non tamen propterea lapis mouetur, sed semper manet in eodem loco; ergo vbiatio illius non dependebat à corporibus ambientibus: cur ergo idem non dices de Angelo, qui voluisset in eo loco fixus hæere, siue venti flarent siue non? nec enim est periculum ut ab eis rapiatur & feratur in alium locum, aut è contrario. Vel quomodo poteris dicere, Angelum, qui Prophetiam Habacuc ex Iudæâ Babyloniam duxit, non fuisse motum localiter, eò quòd semper per crines tenuerit eundem numero Prophetam, & consequenter semper respexerit idem numero corpus reale, scilicet eodẽ crines: certè, qui hunc Angelum neget mutasse locum, poterit etiam negare & aquilas volantes, & omnes alias aues illum mutare.

Aduerte, hos Auctores fortè innoxios cuidam communi modo loquendi, quo quando res aliqua in alterâ manet quasi clausa, dicitur semper esse in eodem loco: sic pecunia in cistâ manens aut in erumenâ, semper dicitur esse in eodem loco, siue homo huc siue illuc eat. Sed, si hinc argumentati sunt, cur non extenderunt suam doctrinam etiam ad res materiales, quia in illis præcipue habet locum communis iste modus loquendi. Cui respondeo, illum esse improprium, & solum significare eandem quasi moralem loci perseverantiam in ordine ad intentum humanum, quia moraliter idem iste, meam pecuniam esse hic, aut in templo, aut in alio loco, si semper eam habeo in sacco, quia eodem modo illam possum vbiq; inuenire, & eâ vti, per quod non significatur in rigore Philosophico, eam non mutasse locum. Et idem est de homine qui in naui vehitur aut in equo. Sic etiam hodie dicitur Moldaua idem numero fluius qui heri, cum tamen Philosophicè fortè nec vnâ guttam numero hesternæ aquæ retineat.

95 Sed obiicit quidam, cum Vasquez ex parte conueniens: Si Angelus habet vbi independens à corpore, ergo poterit ire spatium per spatia imaginaria ultra cælum; hoc autem videtur absurdum, quia Patres loquentes de Angelis, semper supponunt eos esse intra hoc vniuersum. Hæc obiectio non est magni momenti, & quâ obiciens eodem modo vrgetur: ait enim, naturaliter posse Angelos carere omni vocatione, ita ut nullibi sint. Vnde argumentor: Ergo tunc Angelus non esset intra hunc mundum, quomodo ergo obiciens saluaret tunc locutiones Patrum, aientium, semper Angelos esse intra hunc

mundum? Respondeo ergo, posse quidem Angelos naturaliter reddi præsentem spatio imaginario extra cælum, nego tamen, id eos de facto facere, quia esset inutilis & impertinens talis motus; Angeli autem beati nihil operantur nisi ordinatissimè, & propter honestissimos fines. De demonibus nullum est periculum, quia non possunt ad cælum empyreum pertingere.

Obiicies Secundo: Si vbi Angelicum est in- 96 dependens à corporibus, ergo possunt Angeli magis vel minus inter se distare, etiam si nulla corpora intermedia, aut in quibus ipsi sint, absolute existant; quod videtur absurdum, quandoquidem distantia est proprietas corporis habentis extensionem, & partem extra partem. Respondeo, falsum omnino esse, distantiam solis corporibus conuenire: nam sicut vnum punctum materiæ est extra aliud localiter, cur non possunt etiam duo Angeli indiuisibiles vnus esse extra alterum, ut supra dixi? Neque video rationem vllam, cur dicatur corpus posse ab alio corpore distare independentem ab alio tertio, & non possint duo Angeli inter se distare independentem à corpore, sed formaliter per suas vbiationes. Confirmo, etiam in ipsis corporibus non 97 solum partes illius distant inter se ratione extensionis earum, sed vnum corpus distat ab alio, cum quo non facit extensionem; & in ordine ad hanc distantiam perinde se habet corpus esse extensum, ac esse penetratum: da enim, omnes partes lapidis hic existentes inter se penetrari, nonne distabit à lapide existente Romæ, ac si partes eius essent extensæ? ergo extensio per accidens se habet ad distantiam, ergo etiam Angeli inextensi poterunt habere indistantiam independentem à corporibus. Adde, etiam si ea extensio requireretur, adhuc posset conuenire rebus spiritualibus, quæ capaces sunt extensionis, ut dicam Disputatione 1. de Animâ, à num. 61. In Angelo, etiam si in se sit indiuisibilis, tamen, eò quòd potest habere vbi extensum, ut dixi Disputat. iv. de Angelis, à num. 25. saltem ratione illius esset capax distantie.

Obiicit Tertiò Vasquez: Si Angelus est in loco imaginario independentem à corpore, ergo replet illud spatium, quod est absurdum. Hoc argumentum tantum nititur modo loquendi, significationi scilicet illius verbi *replere*. Ei respondeo negando sequelam, quia *replere* est proprium quantitatis, quæ est impenetrabilis cum alio corpore; Angelus autem cum nullo corpore est impenetrabilis, & consequenter non dicitur replere locum. Rogabis, vtrum, si duo Angeli essent in spatio imaginario, posset vnus esse supra vel infra alterum. Respondeo negatiue, & ratio est, quia esse supra vel infra, est in ordine ad centrum terræ: nam quæ magis ab illo distat intra eandem lineam rectam, dicuntur esse supra; quæ verò minus, dicuntur esse infra: in spatio autem imaginario non est centrum, vnde in illo non potest vnus Angelus esse supra vel infra alterum, sed tantum esset vnus ex aduerso alterius magis aut minus distans, iuxta vbiationum diueritatem.

Obiicit idem Vasquez Quarto: Animâ rationalis, quando est in corpore, non habet vbi distinctum ab vbi corporis, ergo neque Angelus habebit vbi distinctum ab vbi corporis cui est affixus.

affixus. Probatur Antecedens, quia quando mouetur homo ab equo v. g. non est agens, à quo produci possit nouum vbi in anima: equus enim, cum sit agens omnino materiale, non potest in anima spiritali producere vbi, ergo tunc anima non mouetur, sed solum corpus. Nego Antecedens. Ad eius probationem respondeo, à corpore, ipsius hominis imprimi motum in anima; eo enim ipso, quod anima sit coniuncta corpori, hoc habet virtutem, vt dum mouetur, secum trahat animam, & hæc è contrario vt secum trahat corpus; sicut eo ipso quod vela sint coniuncta naui, habent virtutem, vt dum mouentur, secum rapiant nauim, & è contrario nauis trahat vela: sicut etiam ob eandem rationem, qui mouet species Sacramentales, mouet etiam Christum Dominum. Neque impedit, corpus esse materiale, ad hoc vt producat præsentiam spiritalem; quia (vt sapè diximus) à remateriali potest produci partialiter res spiritalis, vt patet in phantasmatibus producente species spirituales scilicet partialiter simul cum intellectu, de quo alibi. Vel si hoc non vis, dicas, eam vocationem produci à solo Deo, ita perente corporis motu, & vnione illius cum anima.

SECTIO VI.

Quotuplex sit præsentia localis, & quibus rebus conueniat.

101 **I**nter præsentias locales omnium perfectissimæ est præsentia Dei indistincta ab ipso Deo, ratione cuius est præsens vbique, iuxta dicta Sectione. Est autem in præsentia difficultas, vtum ita sit proprium Dei esse vbique, vt repugnet etiam de potentia Dei absolutâ aliquam creaturam poni simul in omnibus spatiis imaginariis. Qui dicunt repugnare infinitum in actu, consequenter dicunt, id non posse fieri per præsentias diuisibiles iuxta spatij diuisibilitatem, quia illæ necessariò futura erunt infinita; per vnicam tamen præsentiam, essentialiter respicientem omnia spatia imaginaria, rectè posse id fieri, nec ideo illa præsentia esse infinita, sicut neque est infinita cognitio, quæ omnes creaturæ possibiles in se ipsis cognoscerentur. In nostrâ autem sententiâ rectè posset id fieri etiam per infinitas præsentias distinctas, quia (vt supra diximus) rectè potest dari infinitum in actu.

102 Sed dices: Ergo illa creatura esset immensa, quia esset vbique. Nego consequentiam, quia immensitas non solum dicit esse vbique actu, sed necessariò & essentialiter, sicut æternitas, prout attributum Dei, non solum dicit durare omni tempore, sed necessariò & à se ipso: creatura autem illa esset contingentè vbique, quia posset illi deficere etiam naturaliter, vnde etiam esset per vocationem à se distinctam, in quo differret à Deo. Adde, fortè non repugnare aliquam substantiam, quæ per suam essentiam esset vbique, quia verò posset à Deo destrui, aut non produci, ideo non esset infinita.

103 Post præsentiam increatam sequitur creata, quæ diuiditur in *circumscriptiuam*, quæ propria est rerum materialium habentium quantitatem, quæ ita existunt, vt vna pars sit extra aliam, & impenetrabiliter cum alio corpore quanto; & in *de-*

finitiuam, ratione cuius res existit in loco, siue habendo partem extra partem, siue non, siue impenetrabiliter siue penetrabiliter, siue alio quouis modo.

Vbi aduerte, omne vbi circumscriptiuum, includere definitiuum, sed non è contrario, in omni definitiuo includi circumscriptiuum; vnde hæc duo se habent vt ratio superior & inferior, non vt membra diuidentia rationem superiorem.

Hic solent tractari multæ difficultates, quæ magis pertinent ad modum loquendi, quam ad rem. Prima sit, an quodlibet indiuisibile vocationis, quo indiuisibile lapidis, v. g. existit in loco, sit circumscriptiuum. Respondeo, esse partem componentem vbi circumscriptiuum, propriè autem non esse circumscriptiuum, quia hoc dicit aliquid compositum ex pluribus partibus.

Secunda, an solum vbi quantitatis, an verò etiam vbi materiæ sit circumscriptiuum. Ratio dubitandi est, quia vbi materiæ non est impenetrabile etiam cum alio corpore quanto, id enim solum habet vbi quantitatis, vnde videtur, illud non futurum circumscriptiuum; aliunde verò illud vbi habet partem extra partem, ergo est circumscriptiuum. Affirmant aliqui, negant alij: elige quem vuleris loquendi modum, & consequenter ad illum potes explicare vbi circumscriptiuum. Probabilius videtur, dicendum etiam circumscriptiuum, quia petit coniungi cum vbi quantitatis, quo reddatur impenetrabile cum alio, etiam si per se formaliter non habeat eam impenetrabilitatem.

Tertia sit, vtum vbiatio Christi in Eucharistia sit circumscriptiuæ. Respondeo negatiuè, quia non est ibi vna pars extra aliam, sed in quolibet puncto existunt omnes, non ergo est vbi circumscriptiuum, quia de huius essentia est, habere partem extra partem.

De re potest esse difficultas, à quo specificentur vocationes. Eas specificari à spatio imaginario modo supra explicato, certum est. Deinde addo, probabile etiam, specificari à subiectis in quibus sunt: vnde diuersum vbi in specie est illud quo existit materiæ, ab eo quo existit formæ; & inter has diuersa est vbiatio formæ leonis ab vbiatione formæ equi, sicut diuersus est amor existens in homine, ab amore existente in Angelo, idem est de cognitione. Ratio est, quia accidentia specificantur pro diuersitate subiectorum quibus insunt.

Dices: In homine & in leone dantur eadem primæ qualitates in specie, calor, frigus, &c. ergo poterunt dari eadem vbi in specie. Respondeo, eas primas qualitates non recipi in forma hominis vel leonis, sed in materiâ; hæc autem est eadem specie in vtroque, quare fateor, vbiationes materiæ hominis & materiæ leonis esse eiusdem speciei, nego tamen, vbiationes ipsarum formarum vel materiæ vel formæ esse eiusdem speciei, propter dicta. Dixi supra, probabile esse, quia nulla est repugnantia in eo, quod naturaliter duo accidentia similia possint esse, quantum est ex se, in diuersis specie subiectis, probabilius tamen est, ea esse determinata quodlibet ad suum, ideoque esse diuersa.

Explicatâ essentia vocationis, oportet explicare, quibus rebus conueniat proprium vbi distinctum ab vbi aliarum.